

est. Commendatur ab Helvetiis Novembri mense, et alias circa initium Decembris: quo tempore Gesnerus *ova* habere ait bona et solida, tardius vero caro ejus insulsa, pinguiscula et flaccida appetet et ova dilutiora sunt. Tempore partus mensis inepta est. Cum elixatur, vino prius fervido injicitur, ne nimis mollis redatur. Apud Allobroges pastitiis includi Bellonius refert.

Facit Rondeletius alterius mentionem, quam Lemani lacus accolae *Umble chevaliere* forte ob magnitudinem, praefantiam et robur nominant. Neque vero a superiore solum differt, vel sexu, vel aetate, ut ex sequenti descriptione perspicuum fiet. Est igitur hic piscis Salmonibus et Truttis, quae vulgo Salmonatae di-

cuntur, similis, *rostro* recurvo, quo a superiore differt, id enim longius habet et acutius. Maxillae inferioris extremum incurvum in maxillam superiore, ejus rei gratia excavatum recipitur ut in Salmonibus videre est. Maxillae lineis multis distinctae sunt. *Dorsum* ex caeruleo nigricat. *Venter* aureo colore est. *Hepar* flavescit, in eo fel: *splen* nigricat. *Ventriculus* gulae subjectus est, longus, spissus, cuius innumerabiles sunt appendices, quemadmodum in superiore. In insignem magnitudinem excrescit. Carnis est sicca et dura: in assulas dividitur, quae *Caryophyllis* confixa in craticula assantur, et oleo sive butyro irrigantur. Paratur etiam hic piscis Truttae modo. Caput maxime commendatur, ut *Salmonis*.

CAPUT II.

De *Trutta Lacustris*.

TAB. XXX.

^{3.}
Aldrov. de
Piscib. l. 5.
c. 59.

Qquam nos *Trutta* *Lacustrem* vocamus, eam Galli *Truttam Salmonatam*, Rondeletius *Salmonem lacustrem* vocat, cumque *Truttis* vulgaribus grandior sit, *Salmone minor*, *Sarionem* ab Ausonio dici *Bellonius* et Rondeletius opinantur. An sit *Anchorage* *Cassiodori*, quod Gesnerus opinari videtur, superius diximus. Ex *Truttarum* genere esse, *Salmonique* similem cum ex corporis forma, partiumque externarum et internarum similitudine, tum ex nomenclatura *Gallica* notum est. *Differt a Salmone* magnitudine et maculis. Minor enim et maculas in lateribus purpureas, multo quam *Salmo* copiosiores habet *Truttae*, item quae in flaviis rapidis et limpidis inveniuntur, non sunt adeo maculosae, magnitudineque, succo, carnis colore et substantia multo inferiores. *Umbla* vero nullis, ut dictum est, lituris fugillatur. *Gesnerus* hunc *piscem diligenter intuitus*, his verbis describat: *Squammulis* tegitur minimis, bene dentatus est, et *lingua* etiam utrimque dentibus munitur. Caput colore nigro, caeruleoque mixto, dorsum partim glauco, partim subnigro, partim caeruleo, partim subviridi. In lateribus puncta nigra. Pinna in medio dorso multis nigris maculis variaatur, reliquae albent. Habet et ultimam

illam dorsi mollem *pinnulam*, ut reliquae *Truttae*: Branchias quaternas. Appendices non toto circuitu intestini, sed ab una tantum parte magnas, oblongas, bipartitas, utrumque circiter 18. habet, et alias sex separatim ex opposito, ventriculum seu majus intestinum versus. Haec ille. Ad duum triumve cubitorum magnitudinem accrescit, in Lario lacu ad 50. quinimo, Jovio authore, ad 100. etiam libras. Initio aetatis caro ejus rubore incipit, duratque is color usque ad Augustum, vel saltem ad Divi Jacobi diem, quo tempore partu jam absoluto, colorem rubicundum amittit. Gesnerus loco differre invicem istiusmodi lacustres testatur; alias enim in vado ipsius aquae degere, praesertim argilloso, hasque magis pingue cere, et palato sapidiores esse, alias circa summas aquas, ubi muscas appetunt, minus pingues et vilioris pretii: illas apud suos *Grundforinen*, has *Schwabforinen* appellari. Duo item genera capi in montanis lacubus, quos *Athesis* facit, quorum unum ab aureo colore *Goldforinen*, alterum a nigredine *Schwarzforinen* appelletur.

De loco et natura hujus piscis ita Aldrovandus. *Lacustris* *piscis* est, sed qui ex lacubus fluvios quandoque subit certo tempore, instante nempe parti.